

Martinus quintus papa, consilio Vladislai Jagellonis regis Polonia.

114

Dilectis filius consilio carissimi in Christo filii nostri Vladislai regis Polonia illustris, salutem etc: Scribimus carissimo in Christo filio nostro Vladislao Polonia regi illustri nostras literas in haec verba: Martinus etc: Carissimo in Christo filio Vladislao regi Polonia illustri salutem etc: Serenitatem tuam novimus quondam multa fuisse prout decet catholicum principem summa laude digna, quae spectarent ad augmentum religionis et cultus fidei orthodoxae. Nam edificasse te plures ecclesias, et conservasse iura ecclesiae Romanae in regno tuo, libertatem ecclesiasticam defendisse, et quod ipsi vidimus sincera fuisse devotione erga Romanos pontifices, eiusque debitam in omnibus obedientiam praestitisse, et commendabant omnes, et ad singularem laudem adscribebant celsitudinis tuae. Gaudebamus nos quoque talem principem ecclesiam habere, qui reliquis praeberet ex operibus suis verae virtutis exempla. Ideoque et dum eramus in minoribus, laudavimus semper haec tuae devotionis et pietatis opera. Et post assumptionem nostram ad hoc apostolatus onus, puro corde et singulari caritate amavimus serenitatem tuam, erga quam si neque enim id improperandi causa dicimus: non minus gratiosos fuisse nos credimus, quam fuerint praedecessores nostri. Testis est



est nobis Deus, nos te semper habuisse loco præ:  
clarissimi filii, et ob eam causam complauisse  
votis tuis, quantum compatiebatur honor et di:  
gnitas apostolica sedis; quo magis admirari nunc  
cogimur, audientes aliqua, quæ multum discre:  
pant à prioribus moribus tuis. Refertur enim  
nobis, quasi omnia in aliam dispositionem im:  
mutata esse in eodem regno: concedari iura ec:  
clesiæ, et ecclesiasticam opprimi libertatem, non  
timeri ansuras nostras, et huius sedis auctori:  
tatem; electiones ecclesiarum et monasteriorum,  
quorum tamen omnimoda dispositio ad nos spe:  
ctat, non esse liberas, sed fieri ad prescriptum  
tuum. Beneficiorum per nos collatorum provis:  
iones contemni, etiam in beneficiis generaliter  
reservatis, neque in ea re parere mandatis no:  
stris, multaque insuper alia fieri præter honorem  
regni, ac nostram et Romanæ ecclesiæ dignitatem.  
Quæ si ut referuntur vera existunt, dolemus ex  
corde et maxime propter serenitatem tuam, cui:  
us honorem et nomen, ut reliqua omittamus,  
antea clarum et nobile, obumbrari neesse est,  
propter huiusmodi sermones qui de tua serenitate  
vulgantur. Verum si quid est in quo fortasse ob:  
erretur, id existimamus provenire ex non sano  
consilio, non autem voluntate tua, cum nulla  
causa existat, cur mutasse debeas tuam pristi:  
nam atque optimam voluntatem. Quamobrem se:  
renitatem ipsam, quam spirituali caritatis bene:  
volentia complectimur, rogamus et requirimus,

atque



atque etiam in Domino exhortamur, ut si quae  
per errorem minus recte facta sunt, corrigens,  
priorem devotionem atque affectionem erga Dei  
ecclesiam reassumas; ac reiectis talibus consi-  
liis, in solita obedientia devotionisque fervore  
perseveres, defendendo Romanae ecclesiae dignita-  
tem, libertatem ecclesiasticam tuendo, reverendo  
prelatos, et provisiones nostras debitum effe-  
ctum permittendo sortiri, atque ita te gerendo in  
singulis rebus, quae ad dignitatem, honorem, sta-  
tumque nostrum et ecclesiae spectant, ut ea quae  
de tua celsitudine narrantur, tua bonitate falsi-  
sa esse convincas. Haec enim agens et tueberis  
famam tuam intactam ab omni macula, et  
altissimo rem facies acceptissimam, pro quo  
et huius vitae pacem tranquillam, et futurae  
mercedem eternam consequeris. Datum etc. Haec  
autem ad scribendum moti fuimus, tum pro-  
pter eorum quae dicuntur indignitatem, tum vero  
maxime propter honorem regium, cuius cura spe-  
cialiter manet insita cordi nostro. Quo enim plus  
ipsum diligimus, eo magis tanquam diligens par-  
ter, de honore suo, ne qua in re minuatur, solli-  
citi sumus. Accedit etiam, quod ista in infar-  
miam regni redundare videantur, et non modicam  
culpam vestram, quorum consilio iura ecclesiastica  
defendi debent; nam ut recte factorum laudem, ita  
eorum quae indebite fiunt dedecus reportatis. Devo-  
tionem igitur vestram requirimus atque hortamur  
in domino, ut cum electi sitis ex multorum nu-



mero, tanquam prudentes viri et consilio pol-  
lentes, regiam serenitatem pro honore suo et re-  
gum, ac vestro, cohortari velitis, prout ex debito  
tenemini ad eadem ipsa, ad qua nos quoque eam  
nostris literis exhortamur. Nihil est enim quo ma-  
gis regna vigeant, nihil ex quo christiani prin-  
cipes maiorem laudem et gloriam et in hoc seculi  
reportent, quam ex pura affectione ac reveren-  
tia erga Dei ecclesiam sacrosanctam, et eius spon-  
sum vicarium Iesu Christi, quorum monitis et  
mandatis qui devote parent, firmissimum sibi  
preparant iter ad celestem vitam, ad quam so-  
lam omni studio intenti esse debemus. Datum